

De Articulis Fidei, Qva Gratiam Assistentem Et Inhabitantem

Rostochii: Typis Joh. Weplingi[i], [1721]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003413943>

Druck Freier  Zugang



RU theol.26.Apr.1721

Weidener, Jo. Joach.

15 19.
DE
ARTICULIS FIDEI,
QVA
GRATIAM ASSISTEN-
TEM ET INHABITAN-
TEM,
SUB AUSPICIIIS
SANCTISSIMI SPIRITUS,

&
CONSENSU SUMME REVERENDÆ THEOLOGICÆ FACULTATIS,

P R Æ S I D E
JOHANNE JOACHIM
WEIDENERO,

S. S. TH. D. ac PROF. PUBL. ORD. ac AD DIVUM
MARIÆ PASTORE

Præceptore ac Patrono suo Maximo


ANNO MDCCXXI. D. XXVI. APRILIS,
publice & horis consuetis

In Auditorio Maximo 1721

Disputabit:

JOHANN. BERNHARD. DRUDE,

Waldecco-Guestphalus Ph. & Th. Stud.



ROSTOCHII,

Typis Joh. WepplingI, SERENISS. PRINC. & ACAD. Typograph.

10.


ARTICULUS PRIMUM

DE CRISTIANI ASSISTENTIA
IN TEMPTORIBUS INHABITANTIA

2. ANCIENNE SPIRITUS

CONFERENTIA DE THEOLOGICA FACULTATE

JOHANNES JOACHIM



PRECEPTA DE PASTORIS OFFICIO

In Annotis

JOHANNES BERNHARD BRUDE

Wittenbergi
1704



PRÆFAMEN.

VI de foederibus sunt commentati expressius docuerunt, eadem illa aliquando etiam contrahi, imparibus conditionibus, cum alter alterum in pactis conventis superiorem agnoscit, sive quod prerogativam illi honoris, non tamen iure clientela tribuat, sive quod se in illius tutelam tradere profiteatur, quae tamen haud raro primus sint ad servitutem gradus, multumque libertatis delibent, cum imperium in alios cupientibus, aliquando inter artes sit, se pro Patrono gerere & clientes suos jactare, qui de patrocinio nunquam pacti sunt: Indiguimus nos miserissimi peccatores auxiliis ac Patrocinio Summi nostrum Miseratoris, nec facultas aut potestas in nobis superfuit, ut minimum salutis causa adferremus, quippe dum omnis nostra salus in mediatoris merito exclusive & non adinventum ulla nostra opera consolidabatur, peregrina potentia, vis & majestas omne tulit punctum: Interea nil diminutionis, vilipendii aut suppressionis intente nobis DEUS iste, qui omnia in omnibus implet, sed sibi sufficiens ac nullius indigus, quicquid paravit fecit ac absolvit, in nostram restitutionem, conservationem & gloriam cedere voluit, ut in hac miseriarum valle ipsi vindicemur & aeternum indivulsi, infinitae beatitudini, liberi latam ac grati asseremur. O quam ineffabilis est hujus foederis sanctio, quam dulcis ejusdem meditatio, quam commoda & solabilis illius experientia! hostium incursum abigitur, facinorum nostrorum turpitudine eluitur, & ipsius conscientiae vulnera medelam sortiuntur, tuta firmaque securitas, requies, pax ac immensa salus in vulneribus Christi reperitur, tanto illic securius habitamus, quanto IESUS noster est potentior ad salvandum: Fremat mundus, premat corpus, insidietur
Daemon

Dæmon, non cadunt, qui fundati sunt super petram. Peccato exerce-
mur, turbetur conscientia, non perturbabitur, quisque vulnerum Do-
mini recordatur: sit nostra iustitia, ad examen divinæ iustitiæ deducta,
sordida & squalida iniustitia, non tamen desperandum est, ubi superaban-
davit gratia, sit pannus menstruatus, cui smegma fulionum nil prodest,
dummodo sanguis IESU Christi emudat ab omni peccato; sint scoria-
rum instar omnes nostræ actiones: quid obest? quousque sedet con-
flans & purgans, qui purificat & defecat, ut simus adherentes Jeho-
væ Mincham in iustitia? Ex operibus legis non justificetur omnis caro coram
illo, secundum namque misericordiam suam justificat & salvos nos fecit;
doleamus in & de infirmitatibus ac imperfectionibus nostris, gratia ta-
men divina non est abjicienda, & orcus & orbis horrescit ad verba: Ego
per legem, legi mortuus sum, ut DEO vivam. Vivo autem, non am-
plius ego: sed vivit in me Christus. Quod vero nunc vivo in carne,
in fide vivo: quæ est in filium Dei, qui delexit me, & tradidit seipsum
pro me:

Nun dann so rüst ich mich zum Streit/
Mein IESUS stehet mir zur Seit:
Mein Friedens Fürst bracht mir bey meinem Gott in
Gnaden/
Welt / Sünd und Satan weicht ihr könnet mich nicht
schaden.

Captabit hæc dulcissima solaminum foenera cui volupe erit meditari no-
stræ divinæ reparationis admirabilia organa ac mille varias salutes.

DEUS vero Omnipotens & in Christo nobis conciliatus Dominus,
imprimat ipse viva hæc gratiarum suarum vestigia mentibus nostris &
consummet prosperitates Spirituales quarum autor est &
immensus conservator.
Amen!

AD

De

DE ARTICULIS FIDEI, QUAE GRATIAM ASSISTENTEM & INHABITANTEM.

Prospectus Tractationis.

- I. Per media salutifera merito Christi IX. eandem sibi salutariter applicari
parta, peccator est restituendus.*
- II. Hac media salutifera, cum ignorat
jus natura, revelatio manifestat. &*
- III. Gratia assistens dicitur, qua circa
peccatorem restituendum, ante rege-
nerationem Ejus, occupatur, ut noti-
tiam revelatam admittat. Propter-
ea igitur*
- IV. Gratia vocans est universalis.
Eademque*
- V. propter conditionem vocatorum, est
vel praeveniens, vel prae-parans, vel
operans. Ubivis verò*
- VI. est illuminans intellectum ad con-
ceptus verbo revelato conformes;
Per eosdem postea*
- VII. introducitur stricte dicta gratia
convertens, qua contritionem ope-
ratur. Et*
- VIII. illa ipsa illuminans gratia porro
omnia salutis media revelat, quo-
rum divina efficacia malis spiritua-
libus omnibus ac singulis medela ad-
ferri potest. Imò, &*
- X. Nihil substantiale cum Fanaticis
concupiendum. Ut tamen*
- XI. succedaneam habeat gratiam justi-
ficantem, qua satisfactione & me-
rito Christi donatis ac spiritualiter
indutis venit justificatio & absolu-
tio a peccatis. Qua*
- XII. sola fide est amplectenda & ap-
plicanda. Ut se*
- XIII. Bonorum Operum collatio cum
fide & coordinatio causalitatis ac
qualiscunque ingressus in hunc Ar-
ticulum de Justificatione, contu-
meliam inferat merito Christi Re-
demptoris nostri unici. Cum*
- XIV. Justificationis ratio formalis in
non imputatione ac remissione pec-
catorum & imputatione meriti Chri-
sti solitarie radicetur & exclusive
absolvatur.*



§. I.

Quantum ad DEum spectat, Christi sufficientissimo merito conciliatum & satisfactione consummatissima permotum, ut in partes nostras rediret, tunc omnia ista, quæ hætenus offenderant justitiam Ejus inviolabilem, quæ testimonium dederant iniquationum irreparabilem nobis, quæ in perniciem nostram ad desperationem ac damnationem usque grassabantur, quæ quoquo modo adversus nos vindictam exigebant, sunt abolita, expiata, restituta ac rejecta: Cum & non nisi ordine quodam divinitus constituto nobiscum agi poterat, hinc ea fuit gratiæ ad nos reductæ & super singulos benevole redundantis facultas ac vigor, ut ad Christi meritum filiali fiducia apprehendendum congregarentur, singuli hominum, & quotquot eorum his salutiferis se adduci paterentur mediis, illis quidem ipsis porta gratiæ, non pateret adeo, quod & reliquis ad finem vitæ contigit, quam accessum benignissimum daret ad illa omnia, quæ merito Christi gloriosissime sunt acquisita, hunc in exoptatissimum ac culpa malitiose resistentium repudiatum finem, ut iisdem salutariter fruantur & propitiis ubique emolumentis in usum sui eadem converterent, explicatori enim S. Codicis regula certum est, *quod*, cum solis naturæ viribus amissam recuperare justitiam non valuerit peccator, ea etiam sit meriti Christi gloriosa efficacia, ut MEDIIS SALUTIFERIS instruatür orbis & singuli in eodem degentes homines; *Quod* hæc media salutifera singulis hominum sint offerenda & applicanda; *Quod*, si forte singulis hominum actu ipso non sint oblata & applicata, manifestum sit coram DEO, istiusmodi singulos, etiam si vel in medio Numinis gremio ipsis acquiescere datum sit, media salutifera repudiaturos fore

fore, & sic singularis id habendum dispensationis divinae temperamentum, quo ad ultimum usque mediorem salutis apicem reos noluerit, quos suis etiam convictionibus aliquando inexcusabiles, sit judicaturus; *Quod* propter praeviam hanc rebellem & minimum in fine vitae conspicuam, malitiam salutaris eosdem mediis non adeo privaverit, quam eo quidem ipso perjuros & perfide ac finaliter ingratos eosdem declaraverit.

§. II.

Si etiam de his, qui mediis salutaris actu ipso sunt beati ac instructi, propiora depromere velimus ex sanctissimo thesauro revelationis, tunc indubia constat revelatione, *Quod*, cum jus naturae modum cultus divini, & externi non perhibuerit, longeque omnium minus medium aliquod cognoverit ac docuerit, quo justitia divina conciliaretur, Dominus vero omnis ministros ac servos suos de voluntate sua ac obeundis functionibus informet, antequam rigore juris & poena confectaria advertere possit in hos, quos non instruxerat, aut placitorum suorum certos fecerat, longe perfectiori modo DEus noster in Christo conciliatus, toti orbi omnem salutis oeconomiam omneque consilium de salute hominum clarissime & abundantissimis revelaverit modis; *Quod* hanc suam voluntatem exasciato argumentorum pondere & hac quidem divina promulgaverit efficacia, ut, si qui propter obicem & malitiosam suam pereant resistentiam, hi omnem culpam sibi attrahant, gratia namque salutaris & actus misericordiae divinae, quo DEus propter Christi meritum omnes vult salvos fieri, salutis media omnibus destinavit, & credentes non nisi juxta seriem salutaris sui ordinis elegit; *Quod* pro hac sua benignissima voluntate, in tempore & actu ipso singulos vocare decreverit, hoc ordine & modo, ut singuli malitiose non repugnaturi & meritum Christi sibi fiducialiter applicaturi, sint regenerandi, justi-

justificandi, unione mystica perficiendi, in fide salvifica conservandi & protegendi & perseverantes denique ad ultimum vitæ halitum, sint salvandi.

§. III.

Antequam vero media salutifera hominem peccatorem eousque præparant, movent atque deducunt, ut vires credendi eidem conferantur, omne id, quod oritur, excitatur & perficitur in eodem, quoad spiritualia ac revelata, nomine GRATIÆ ASSISTENTIS Theologis venire ac deprædicari solet; Certum siquidem est, quod verbum DEI semel a Spiritu Sancto omni sua virtute & plenaria sit instructum efficacia, ut eidem nullibi & nunquam aliquid virtutis & efficaciam accedere possit, neque majus aut minus quoad se experiatur ullibi, quicquid & diversitatis, quoad operandi modos, obvenire videtur, & multoties deprehenditur, id omne ad objectum referri debeat, circa quod verbum divinum in se & sua natura omni tempore, loco & modo æque efficax occupatur, ut sic respectu objecti valeat notum istud axioma: Omne receptivum recipit, non ad modum imprimentis, sed ad modum receptivitatis suæ; Quod, quemadmodum notitia naturalis oritur, quando conceptus nostri rebus per naturam obviis, sunt conformes, ita etiam notitia supernaturalis excitetur, quando conceptus nostri, rebus per divinam revelationem communicatis, sunt conformes; Quod sicuti vera est notitia naturalis, quando conceptus nostri rebus per naturam obviis sunt conformes, etiamsi eadem in salutem privatam, propter obicem malitiæ non cedunt & sicut aliis promiscue, nobis tamen nec æque applicantur, ita etiam sit vera notitia supernaturalis, quando conceptus nostri rebus, per divinam relationem communicatis sunt conformes, etiamsi eadem in salutem privatam propter malitiosam resistantiam non cedant, & sic aliis promiscue, nobis tamen

men

men non æque applicantur; *Quod* notitia vera naturalis & rerum naturalium ex ratione & jure naturæ hauriatur, si & vel maxime ipsius rationis & Juris naturæ principia in ipso Sacro Codice doceantur ac relata sint, non tamen adscendant supra rationem & ipsius naturæ hemisphærium; *Quod* notitia supernaturalis & rerum supernaturalium ex revelatione DEI ore ac scriptis publicata, hauriatur, & ipsius rationis ac juris naturæ hemisphærium longe transcendat, circa mysterium Trininitus DEI, Θεωλογίας & totius œconomiae salutis fideliter occupata; *Quod* notitia supernaturalis & rerum supernaturalium sola nitatur revelantis Numinis fide & autoritate, quoad ad singula ista, quæ ad salutem nostram spiritualement & æternam contendunt; *Quod* notitia hæc supernaturalis & rerum supernaturalium in his, qui malitiose resistunt, sive de cœtero hypocritæ, sive hæretici, sive apostatæ evaserint, vera tam certe ac supernaturalis maneat ac habenda sit, quam firmiter id manifestum est, quod non nisi ex revelatione Sacerrimi Codicis hauriri potuerit, nec quicquam illi, dum & quousq; in impiis manet ac reperitur, quoad divinam suam & essentialem virtutem, derogetur, præterquam, quod immorigeri sibimet ipsis applicari eandem, sola perversa sua malitia detrectent, atque sic in damnum ac judicium sui, eidem opponantur; *Quod* notitia hæc supernaturalis & rerum supernaturalium in his, qui fideliter cedunt & obœdiunt, æque vera certe ac supernaturalis maneat ac habenda sit, quam firmiter demonstratum est, quod non nisi ex revelatione Sacerrimi Codicis hauriri potuerit, nec quicquam illi, dum & quousque in piis manet ac reperitur, quoad divinam suam & essentialem virtutem, accedat, præterquam quod morigeri sibimet ipsis applicari eandem solis viribus Θεοθεν concessis permittunt & sic in commodum ac salutem sui eidem contormentur; *Quod* in œconomia salutis aliquid, supernaturale, spirituale ac divinum

num denominetur, quia naturam rationem, & jus naturæ transcendit, & non nisi sola Spiritus S. revelatione innotescit, nec quicquam denominationis istius modi accipiat abs hominibus, si vel sint maxime pii, qui potius ipsi, dum his donantur prærogativis, distinctionem inter naturam & gratiam solícite admittunt & experiuntur; *Quod* hac ratione injurium id sit adversus sacerrimum Codicem, si quis inter virtutem verbi ignobiliorem, vulgarem ac generalem, qua etiam irreginitus solis naturalibus suis viribus, analogiam fidei apprehendere atque in usus generales vertere possit, & inter virtutem verbi nobiliorem, vere genuinam & specialem distinguere vellet, qua fides hætenus historica & dona reliqua naturalia, per regenerationem, in spiritualem & divinam essentiam transferantur & reginiti ad communionem eminentissimam cum DEO veniant, ut vocem Spiritus S. in penetralibus cordis sentiant, audiant atque experiantur, & sic quidem nova revelatio accedere debeat verbo, antequam in hunc perfectiorem modum elevetur & ad regenerationem & justificationem introducendam perficiatur.

§. IV.

Ad gratiam ergo assistentem referri debet omnium, primo, GRATIA VOCANS, de qua perhibitum legimus, *Quod*, cum benignissimo Numini non sit res cum mulo vel asino, haud intelligentibus, quibus fræno & lupato opus est, ut ad hominem adducantur, sed cum hominibus arbitrio suo instructis, quibus tradidit facultates suas, potestatem & unicuique opus suum ac talenta sua, quosque trahere vult funibus hominum & gratiæ, illos ipsos per verbum revelatum & prædicatum doceat de via, quam eligant, & manere quærentes eum, inveniant eum, ac indagantes scripturas, in iis vitam æternam habeant, dum illæ ipsæ sint, quæ testantur de eo; *Quod*, etiamsi forte rationes affatim multæ ac fonticæ adsint, quibus ipsis inferri liceat, DEUM non obligari

gari, ut singulis momentis, & singulis hominum, peculiare mittat prophetas & doctores, illique sic continuo doceantur, quin puta, quod ad singulas adtinet gentes, semel minimum, si non aliquoties in antecessoribus & patribus suis eosdem vocaverit, qui deinceps doctrinam hanc cœlestem omni debuissent jure ad posteros propagare, qua nunc proinde descendentes, non ex antecedanea & absoluta Dei voluntate, sed ex propria majorum malitia privati sint, quem in finem forte distingui posset inter ipsam gratiam vocationis, quæ sit universalissima, & ejus dispensationem, quæ non inordinate, sed ordinate sit universalis, ut sic omnes, vere ac serio sint vocati, non tamen omnes æqualiter, in modo, gradu ac mora: nobis tamen pondere suo prævaleat ea sententia, meriti Christi gratiosam efficaciam in mediis salutaribus non terminari aut constringi, usque dum modo adfuerit in orbe, quos media salutis fideliter apprehensuros vel in ipsa mortis hora, præviderit atque cognoverit divina omniscientia; *Quod*, dum in spiritualibus omni destituitur arbitrio peccator, nil eorum venire possit in hominem, donec Spiritus S. per verbum id adtulerit ac immiserit, quam vere siquidem est Spiritus gratiæ, sapientiæ, revelationis, fidei, adoptionis, promissionis, hæreditatis & gloriæ, tam vere non nisi verbo revelato & prædicato operatur in nobis tam velle quam perficere pro beneplacito & benedicit nobis omni benedictione spirituali in supra cœlestibus in Christo; *Quod* hæc gratia vocans efficacissimam & maxime actualem applicationem mediorum salutis, tam quoad conatum & operationem, quam quoad fructum & perceptionem, secum ferat ac munifice & amplissimis exhibeat ulnis; *Quod* hæc gratia docens occupata sit circa hominem rebellem & adversus sanctissima DEI placita insanientem, ut per media salutis statim & tunc etiam, cum omnis obex & plena adhuc, satisve malitiosa in perverso corde reperitur, eaque ferocis-

sima

fima resistantia, aggrediatur eundem, lumine virtuteque,
 sua divina invadat eundem, nec desinat salutaria quæque
 adversus rebelles quoscunque moliri; *Quod* etiam si non in-
 tret DEus animam, peccatorum sordibus coopertam, nec
 habitet in corpore sceleribus obnoxio, dum tamen, quicquid
 ad fidem, quanta quanta illa est, & quoad singulas suas con-
 ditiones, partes & operationes, pertinet & spectat, sit opus
 DEI, ea necessario sit gratiæ vocantis divina efficacia, ut ad
 ultimum apicem, singula ista introducere plenis viribus an-
 nitatur, quæ salutem spiritualem & æternam promovere,
 applicare & introducere valeant, quorsum Redemptoris no-
 stri dulcissima collimant verba: Ecce constitui ad januam &
 pulso, si quis audiverit vocem meam & aperuerit januam,
 ingrediar ad ipsum; *Quod*, quemadmodum in naturalibus
 dat vitam & spiritum & omnia singulis, fecitque ex uno
 sanguine, quodvis genus humanum habitare super totam
 faciem terræ, definiens præordinata tempora & limitum
 positionem habitationis, ut quærant Dominum, si omnino
 palpent ipsum & inveniant, nullibi etiam se intestatum reli-
 quit, ita quoque in spiritualibus nil omiserit eorum, quæ ad
 ad salutem singulorum prodesse, dum in familiis atque
 coloniis Patriarcharum sanctam suam revelaverit volunta-
 tem & omnem œconomiam salutis, id quod postea in po-
 litia Levitica omnium gratiosissime continuavit, ubi gens
 Judæa Phari instar fuit reliquis populis, quos & migratio-
 nibus ac dispersionibus suis, miris modis allexit, donec post
 adventum Christi, Apostolis denuo universalis prædicatio
 sit demandata, ut sic testimonia venerint indubia, manum
 DEI expansam esse benignissimo affectu ad singulos, dum-
 modo misericordie Numini non superfuisset querela: Quid
 faciendum amplius fuit vineæ meæ, quod non fecerim in illa?
Quare vero expectavi, ut faceret uvas? fecit vero labruscas.

S. V.

§. V.

Hæc vero vocans gratia propter circumstantias & conditiones eorum, qui vocantur, dici meretur

PRÆVENIENS, & juxta eandem convincimur, quod dum homo peccator, etiam si luminis naturalis ductum sequatur, & ad rationis ac juris naturæ præscriptum actiones suas qualitercunque componat, non tamen seipsum præparare valeat, ut gratia salutaris eidem offeratur aut applicetur, figmentum enim cordis humani tantummodo malum est omni die; Quod in & cum verbo, fortuito sæpius accepto, quin sine ulla sollicitudine, cura aut cupidine adhibito, præveniens gratia miris modis adsit & perpetuo moliatur, quo tactus ac motus spiritualis introducatur & compunctos reddat peccatores, ut cum Agrippa fateantur: Parum abest ut persuaderes mihi fieri Christianum. Neque in hac sola gratia desinit verbum, sed ulterius operatur, ut

PRÆPARANS gratia efficiatur, de qua cognovimus, quod peccator e profundo iniquationis mortiferæ somno excitatos affectuose agitet, ut anxia reflexione meditentur ac exclament; Quid faciemus? & consuli ac doceri cupiant, an, & quomodo abs interitu spirituali vindicari ac liberari possint? Quod dum Paulus olim sit professus, se esse constitutum ministrum, ad aperiendum oculos populorum & gentium, ut convertant a tenebris ad lucem & a potestate Sathanæ ad DEUM, ea in Ministerii & Ministrorum verbi efficacia, ut emphasi ardua persentiant carnales ac abalienati hæctenus a viis DEI, se proposito suo hæctenus nocive sectato salvari non posse alioque omnino tramite incedendum esse iisdem; Quemadmodum vero verbum divinæ revelationis omni momento ac modo cœlestem alit virtutem, quæquæ adeo in ipsa gratia jamdum præveniente ac præparante, quæ ubivis insignis ac admirabilis valoris, ita tamen

B

ratione

ratione objecti, ad quod contendit & pertingit, ratio conspicua adest, ut succedat porro

OPERANS gratia, de qua, in quantum ad gratiam assistentem refertur, id est in propatulo, quod occupetur, circa infideles & non renatos, ut in iis conversionem producat, proindeque ultra eandem non affurgat, dum omnis cordis compunctio, pulsatio, præparatio atque dispositio, quorum ope & efficacia perficitur convictio cordis & excitatio ac motio ad vires credendi aliquando accipiendas, removeant demum cor lapidis & omnia illa, quæ obsunt, quominus gratia regenerans effectum suum introducere & sortiri non valeret, unde quicquid alii adhuc de gratia excitante & perficiente, non sine probo ordine adjecerunt, ultra hos terminos ascendere non valet, conducit enim, solide cognovisse peccati vulnera sordes ac carcinomata, modumque istum, quo his malis obviat gratia, ut postmodum eo clarius constet, quid in regenerationem parandam denuo sit introductum.

§. VI.

Inter has curas, ad ductum Sacri Codicis & sic methodice satis sollicito, perspicuum abunde fiet, quod, veluti in & cum verbo omnis oriatur & communicetur hominibus gratia, ita quoque ex eodem verbo solide deducatur GRATIA ILLUMINANS de qua ostensu proclive est, quod inter gratiam vocantem & illuminantem manifesta sit distinctio, quamvis & inter gratiam utramque sororius sit nexus, nec enim vocari quis potest à DEO, quin simul, aliqua saltem ex parte, quorsum, quare & quomodo venire debeat, edoceatur, nihilominus tamen gratia illuminans peculiariter circa corruptionem intellectus, ignorantiam puta, errores, præcipitantiam iudicii, inadvertentiam, curiositatem, inane eruditionis ac scientiæ æstimum ac tædium, scepticismum, dubitationem, credulitatem & sic porro occupetur;

Quod

Quod hæc gratia illuminans commode satis ac necessario dici debeat *docens*, quia per eandem docet nos DEus proficere, & deducit nos in via, qua ambulare debemus & per hanc doctrinam donat nobis Christi agnitionem, pœnitentiam & fidem, qua & in ipsis novam obedientiam operatur; *Quod* hæc gratia docens ac doctrinis suis unice illuminans tenebras, ad modum receptivitatis, quæ est in infidelibus & irrogenitis successive dispellat ac dispiciat, diverso tamen & ordine ac gradibus; *Quod* producat in intellectu conceptus verbo revelato conformes & fidei sanctissimæ analogos, quin primas fidei partes, notitiam ac assensum efficacissime gignat, lux enim effulget super eos, qui hæctenus in tenebris sedebant, eosque ut prævenit, ita præparat & gratiosa facultate, operatur, dum complexum credendorum atque agendorum e pœna divinæ veritatis fideliter promit, intellectui ad cognoscendum & dijudicandum exhibet, eundemque in consensum mirifice trahit; *Quod* simulac infidelis intellectum suum perficere finit his sanctis doctrinis, & conceptus sic format cum *pndæ* revelationis conformes, iidem mentem, Ipsius eousque illuminent ac perficiant, ut divinam veritatis firmitatem assequantur, & remotis errorum tenebris luce ista beetur, ut capax fiat inter hæc veritates, ordinem ac œconomiam salutis apprehendat, quin ejusdem salutifera requisita, & sibi & aliis applicare eademque tenaci fidelitate defendere consvescat; *Quod* ad hanc gratiam infidelibus conferendam Pater iste luminum, qui fecit, ut ex tenebris lux luceret, lucem in spiritualem agnitionis suæ dedit in cordibus Ministrorum suorum ad illuminationem cognitionis gloriæ suæ, quæ est in facie Christi, ut firmiori Prophetico verbo recte attendant homines, tanquam lumini lucenti in loco tenebroso, usque dum dies illucescat, & lucifer oriatur in cordibus eorum; *Quod*, quousque hæc omnia gratiæ docentis atque illuminantis admirabilia documenta, neque

per naturam, rationem ac jus naturæ, acquiri poterunt, neque facultate eorum mentibus peccatorum inferi, aut in iisdem firmari aut roborari possunt, omne istud sit gratiæ illuminantis & non modo doctrinæ eadem omnibi divinæ ac salutare, sed & modus offerendi & applicandi Spiritui S. & ejus gratiæ assistenti vindicari debeant, adeo ut quicquid etiam adversus has doctrinas & modum earundem, quo offeruntur, ex - & applicantur, moliatur Sathanas & ejus perditæ squamæ, illud omne tamen nec apicem revelationis carnalem efficere valeat, aut incensum rerum & virium naturalium rapere & transferre valeat;

§. VII.

Hæc gratia docens & illuminans atque perpetim ac divinitus efficax verbi revelati, pandit omnem Mysteriorum & mysteriosæ nostræ restitutionis incomprehensibilem viam, nobisq; manifestat, quoad GRATIAM peculiariter ac strictè dictam CONVERTENTEM, *Quod* sine merito Redemptoris nullus humano generi potuerit reditus ad gratiam, rebelli iniquatione deperditam; *Quod* imaginis divinæ adeo miserandam fecerit jacturam peccator, ut nulla ejusdem supersint rudera, hoc vero penitus amissa, juris naturæ demum supersint mire lacera rudera, & totus homo qua animam & corpus horrende sit depravatus; *Quod* legis moralis sanctissima alias in se norma, eo quod circa peccatorem occupetur, cui præter rebellionem & resistantiam tam naturalem quam malitiosam nil restet, necessario maledictionem adferat & ad usque desperationem & damnationem maligni delinquentis grassetur; *Quod*, cum omne temporis ac vitæ nostræ momentum Deo dudum debeamus, ne minimus lapsus in præteritis aut præsentibus per futuram & actu omni nobis impossibilem emendationem, perfectione nostra, conciliari possit atque sic nobismet ipsis & omnibus nostris humanis modis diffidendum sit, in medela vulnerum quibus

bus ad mortem spiritualem & æternam indies affligimur; *Quod aridior morbi ac mortis nostræ spiritualis, atqve medium placationis æternum indignanti justitiæ divinæ opponendum, nullis hominum quin Angelorum viribus excogitari ac inveniri possit; Quod minus omnibus suis viribus, præ ossibus arefactis, æthiope dealbando & mortuo vivificando pollens peccator erret sicut pecus periens, amittatur ut grossus rejectus, intereat ut filius deperditus, & de restitutione sua flebiliter anxius, in universo tamen orbe nil de suo vel creaturarum ullo merito ipsi suppeditet, unde respirare ipsi detur, omnium minime æquivalens compensatio parari possit, qua DEum permoveat offensum, ut in partes suas gratiosissime redeat, sui misereatur & peccata condonet; Quod iniquationem luis peccaminosæ & sceditatem hujus detestandi mali dolorifere equidem sentiat ac ad maledictionem execrabilem legis cohorrescat, horridisque conscientiæ tremoribus se exonerare non valeat, sed tamen per duriozem pædagogum legem in solatii viam duci non possit, cujus præcepta formaliter ac declarative occidentem literam secum ferunt, quousque nulla præstari aut expectari potest satisfactio; Quod excitata sic contritione, sine omni fundamento dicatur, ejurare eandem omne peccatum proæreticum, minimum virtualiter & importare promptitudinem non repugnandi cuicunque voluntati Divinæ, legali, Evangelicæ; contritio enim in formali sua significatione, nil nisi displicentiam, detestationem, ac de commissis & patris peccatis, doloriferos cruciatus & conscientiæ anxiantes afflictiones infert, nec adaptat hominem, ne gratiam Dei respuat, longe minus eliminat propositum peccandi, omnium minime tandem efficit propositum non peccandi constans & insanctitate per totam vitam perseverandi; Quod illa denique circa contritionem sit gratiæ assistentis benignissima operatio, ut non modo illuminet infideles quead*

judicia divina inevitabilia super singula, quæ sunt peccati, sed & eosdem legi quam sapientissime committat, quo serio contriti sentiant deplorandas divortii causas, quod inter justitiam DEI ac peccata intercedat, nec tamen in desperationem penitus ruant, sed in jejunio, planctu; fletu aliisque ferii doloris indicibus gratiæ universalis certi reddantur, & illius longanimitatis divinæ, quæ ad pœnitentiam vocat, in exemplis populi Israelitici, Davidis, Manassis, Paralytici, peccatricis magnæ, Petri, latronis, incestuosi Corinthiaci, & quot non aliorum, convincantur atque sic sperare incipiant, numne restitutionis ipsorum per meritum Christi partæ, locus ac modus evenire possit.

§. VIII.

Præcipue vero in emolumentum miserorum operatur *gratia assistens*, tam ante quam post conversionem & de eadem, firmiter adhuc asserendum est, quod postquam verbum divinum hætenus circa infideles & irregenos hunc in finem efficaciam suam omnibi in se eandem & æqualem, fideliter dispensaverit, ut resistentiæ malitiolæ & rebellibus motibus obex poneretur, sceditas peccaminosa vivis coloribus exprimeretur, serius dolor de admissis excitaretur & salutis larga veniret notitia, ejusdemque anhelum desiderium, nunc propius accedat cor peccatoris, ac quicquid adhuc invisum eidem, & ad fidem salvificam conferendam impedimentum dare posset, penitus removeatur; Quod hac operatione verbi & gratiæ inhabitantis, cognoscere incipiat infidelis hætenus ac irregenos, quanta sit œconomia salutiferæ miserosa eminentia, quam vera sit Mediatoris & ~~omni~~ consummatissima satisfactio, & quam propensissima nunc feratur in singulos peccatores conciliati Triunivus Numinis voluntas, quam & impossibilis fuerit hominis malitiose lapsi restitutio, nisi per sapientiam Spiritus S., qui scrutatur profunda DEI, adinventum fuisset reparationis
meri-

torium medium, cujus larga revelatione beaverit orbem, ut quotcunque hujus mysterii manserint expertes, illis nec via alia nec modus ullus supersit; *Quod*, velut omnia promiscue in Bibliis revelata, sint *Θεοπνευστα* & divinæ *ἰδιόμψεις*, ita peculiariter ea, quæ de conciliatione Trinunius DEI, de Mediatore & merito Ejusdem, deque gratia inde dimanante sunt perhibita assensum, inexpugnabilem mereantur & fidelis sit sermo ac omni acceptione dignus, quod Christus Jesus venerit in mundum ut peccatores salvet; *Quod* adversus carnis ac mundi illecebras, inferni non minus ignita tela & tentationes mascule sit decertandum in singulis iis, quæ promissiones DEI & regulas fidei ac morum suspectas reddere, audaciter moliuntur easdemque, vel expectationem frustraturas, vel justo diutius suspensuras vel omnino fallentes blasphemè arguere audeant; *Quod* si illa, quibus ratio in assensum trahitur, demonstratione ac experientia dentur, revelatis doctrinis longe major sit habenda fides, cum nitantur autoritate dicentis aut revelantis Numinis, quod fallere est nescium & cujus constituta ac promissiones sint factæ; *Quod* sic quidem a primis literis & lacte, rariori isto ac incomparabili animarum nutrimento, deveniendum sit in illum statum, ubi firmior eibus offerri ac digeri possit, ut sani sint in fide, nec amplius, instar arundinis huc illuc agitentur, fluctuent & quovis vento doctrinæ circumferantur, sed potius fidem & bonam conscientiam retineant, atq; sic doctrinaliter perfecti evadant, ut sapientiam loquantur inter perfectos & sensus alant exercitatos per habitum, ad discretionem boni & mali, tenacesque sint ejus, qui est secundum doctrinam fidelis sermonis & potentes evadant, adhortari in doctrina sana & contradicentes arguere; *Quod* gratia hæc assistens nunquam otiosa, delassata & virium divini verbi expertis, dogmata & doctrinas communicet vere divinas, vivas & efficaces, quarum virtute regeneratio &
justi-

justificatio ex intentione & benignissima voluntate DEI Trinunius, in Christo conciliati, in cordibus hominum, produci potest & debet, ita tamen, ut per culpam plurium, circa quos occupatur hæc gratia eadem non possit semper, regenerationem & justificationem introducere in his, qui alias ordinem salutis probe callent, unde plana certe inferitur consequentia, efficacem hanc hæctenus & assistentem, gratiam cum gratia regenerante & justificante non esse confundendam, non enim necessario & semper illa cum hac connexa est, sed natura potius & ipso tempore antecedit, & quamvis ceu gratiose ac divinitus operans, gratiosos & spirituales etiam effectus in hominibus excitet, ut doctrinis revelatis firma securitate ad. & inhæreant, antequam tamen vires credendi per media ista actu ipso conferuntur nec gratiæ inhabitanti locus esse possit.

S. IX.

Quod interea specialiter ad GRATIAM INHABITANTEM adinet, ea est circa eandem Sacri codicis alma doctrina, ut ducamur omnium primo ad REGENERATIONEM & de eadem salutiflue accipiamus, quod, dum naturalis generatio contingit τὸ σαρκῶδες ἀνθρώπου, & hoc miserabili successu, ut carnalem securitatem, contemptum atque odium DEI secum ferat, profundam totius naturæ corruptionem plus quam venenum & horribilis lepra aut ullus immedicabilis morbus introducat, ac hæreditariam pravitatem ad mortem spiritualem & æternam spargat, concupiscentia enim, postquam concepit, parit peccatum, peccatum vero, quando consummatum est, parturit mortem, DEUS noster, cujus πατήρ est πατήρ, generavit nos verbo veritatis, ut sic desuper gignemur & simus primitiæ quædam creaturarum ipsius; Quod hæc regeneratio conferat vires credendi, ut in promissione DEI non dubitemus amplius infidelitate, sed confirmemur fide, dantes gloriam DEO, & propositum pro-

propitiatorium per fidem in ipsius sanguine fiducialiter accipiamus & nobis salutariter applicemus ac eidem confidamus, eo quod in hoc Domino & Mediatore nostro Justitiam nanciscamur, ut fide nostra vivamus & fiduciam habeamus per Christum ad DEum & consolationem inveniant corda nostra, cohærentia in dilectione & in omnes divitias certitudinis intelligentiæ, in cognitionem Mysterii DEI & Patris & Christi; *Quod* hæc vires credendi mediis salutaribus collatæ, singulis, in quibus dantur & manent, gratiam DEI universalem individualiter applicent, ut peccatores, qui secum Paulo peccatorum primos, omni jure arbitrantur, credant in DEum & confidant in salute ejus, sciunt enim, quod vitam habeant æternam, quia credunt in nomen Filii DEI, & sic vela fiducia confidenter expandunt, ut plenis gratiæ auris portam salutis appellant & in eodem Christi meritum sibi salutariter applicent ac participes evadant consummatissimæ illius satisfactionis, quam nostrum loco præstitit Salvator, & ex qua singula reliqua spiritualia beneficia ad nos redundant; *Quod* hac ratione per efficaciam verbi collatis viribus credendi, non equidem aliæ fiant in hominibus conversis, hæctenus revelatæ veritates ac doctrinæ, aut nova, quadam revelatione eleventur, ut quæ hæctenus historice valuerint, nunc spiritualiter ac divina efficacia præpolleant, sed eadem potius veritates, eadem & æquali ubivis virtute, hoc est, divina instructæ, a Spiritu S. hoc successu, quoad homines applicantur, ut pleno solatio percipiant, quomodo tristitia hæctenus in pœnitentiam perciti sic sint secundum DEum, ut in nullo damnum habeant, cum potius pœnitentia ad salutem non pœnitendam, suo modo concurrerit, ubi excellentia potentia fuit DEI & non ex nobis, atque læti experiantur resipiscentiæ statum, malitosæ resistentiæ suppressionem ac illuminantis gratiæ propius interiorem admissionem; *Quod* hæc gratia regenerans luce, vita &

C

omni

omni spiritali virtute instruat atque perficiat intellectum hominis conversi, ut abactis errorum & debilitatum suarum horridis nebulis, ad cognoscenda salutis media, spiritaliter judicanda spiritalia, thesaurosque cœlestes merito suo æstimandos instruatur, quo istud, quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec super cor hominis ascendit, a Spiritu S., non quidem immediate, sed potius non nisi in verbo revelato edoctus, *πληροφορία* & convictione, omnem humanam demonstrationem transcendentem, iudicio item divinitus elevato, assumat, conceptus suos eidem conformet, & veritati huic testimonium tribuat non fucatum, inconcussum atque divina certitudine firmissimum, in eodemque tutus ac firmus ad suam salutem acquiescat nec amplius dimoveatur; *Quod* eadem illa regenerans gratia & mediantibus illis veritatibus, quibus intellectum spiritaliter consolidavit, voluntatem hac motus gloria perficiat, ut in revelatam & merito Christi paratam salutem regeneratus avide propendeat, ad eandem amplexandam sanctis desideriis feratur & fiducia in meditullis & primo corde excitata ac confidentia omnium sanctissima atque firmissima, meritum Christi apprehendat, sibi metipsum illud & in individuo applicet ac insuperabiliter certus evadat, remissionem peccatorum ac salutem spiritualem æternamque sibi gratiosissime erogandam & inter media salutis dispensandam fore.

§. X.

Ex his vero abunde constat, *quod* gratia illa regenerans vires credendi conferat & iisdem instruat intellectum ac voluntatem hominum, ut meritum Christi apprehendere & sibi applicare, atque sic Christum induere possint; *Quod* eo quidem ipso non conferatur conversis natura DEI, neque natura quædam specialis, divina, nova & spiritalis, aut novus modus novi hominis in homine nati, & nova natura in regeneratione producta, quæ ceu divina natura in-

feratu

feratur in naturam hominis & sit substantia quædam abs homine & ejus natura diversa, is ipse siquidem homo, qui creatus est secundum imaginem DEI, qui vere mansit, homo, etiam post amissam imaginem DEI, mediis salutaribus regeneratur, & quemadmodum imago divina perfectio fuit spiritualis, homini primævo accidentaliter inhærens eundemque perficiens, nec minus peccatum inquinatio accidentaliter inhærens eundemque moraliter destruens, ita quoque eidem ipsi homini, in statu restitutionis, per salutifera media, non substantia quædam nova confertur, sed potius naturæ ac substantiæ suæ spiritualis & accidentalis perfectio, qua facultatem sortitur istam, ut vita spirituali instructus, fiducia feratur omni in Christum, Ejusque unice sufficientissimum meritum; *Quod* in toto hocce capite, nec substantia quædam nova, nec substantialis quædam regeneratio, qualem Nicodemus olim fingebat, juste propterea reprehensus a Salvatore, concipienda sit, sed prævia Scripturæ demum norma, naturæ & substantiæ humanæ per peccatum deperditæ, spiritualis, accidentalis, ac efficacissima immutatio & mediis salutaribus conciliata perfectio, qua illos, qui hæctenus erant mortui in peccatis, vivificavit DEUS cum Christo & suscitavit cum Eodem, ac eripuit eosdem e potestate tenebrarum & transtulit in regnum filii dilectionis suæ, ut sic consurgerent cum Christo; *Quod* ad sublimitatem mysteriosæ hujus immutationis exprimendam, Scriptura utatur terminis abstractivis, novæ creaturæ, facturæ DEI, &c. iidem tamen nihil aliud inferant, quam gratiam Spiritus S., qua per media salutifera spirituale quid in nos introducit, iisdemque animam hominis & ejus facultates præcipue perficit, ut illi, qui fruuntur insigni hac prærogativa, ædificent se ceu lapides vivi, & sciant ea, quæ a DEO donata sunt ipsis, evadimur enim participes divinæ naturæ, dum effugimus eam, quæ in mundo est per concupiscen-

tiam, corruptionem; *Quod* accidentalis ea & spiritualis perfectio sit adventitia Spiritus S. operatio, nonnisi mediis salutiferis concilianda, in homine enim per naturam suam, nil reperitur mysteriosi illius motus ac modi, & ne scintillula quædam, cui forsân resuscitandæ aut refocillandæ opera præstari aut fundus cordis tinctura istiusmodi perfici debeat, omnia siquidem & singula, quæ sunt regenerationis, forinsecus per salutifera adferuntur media & non in aditu vel ora animæ versantur, sed ad intima potius cordis penetrantia, hæctenus obscura, nullis spiritualibus viribus instructa ac vere mortua, penetrant atqve pertingunt, ut sic vita spiritualis ceu novum quid & hæctenus non repertum ibidem per efficaciam divinorum mediolorum mirifice introducatur; *Quod* regeneratio illa non sit Christi intra nos & in nobis realis productio, conceptio, effigatio, partus ac natiuitas, donec omnem processum, quoad statum tam exinanitionis, quam exaltationis, iterato quodam schemate in singulis regenitis retrodlexerit ac denuo consummaverit, quo quidem ipso iidem ἀποθνήσκουσιν quædam gaudere occipiant, & ceu ex DEO & Ejus conjugæ Sophia essentialiter nati, θεογενήσωσιν evadant & sic in originem suam convertantur, in DEUM immergantur & abyssali identificatione, cum DEO essentialiter coeant ac in Eundem reducantur: horribilia namqve isthæc commenta & execrandas blasphemias detestantur omnes illi, qui unam Christi incarnationem & semel factam redemptionem, atqve initerabilem Redemptoris sui consummatissimam satisfactionem ex Bibliis norunt, & si vel maxime reconciliati Numinis misericordia, aut cura ministerialis Pauli, aut denique amoris maximi integerrimus fervor sub simili gestationis in utero, venerit in Sacro Codice, ultra tertium tamen suavissimæ istius metaphoræ grassantur omnes isti, qui Deismum & Spinozismum his suis nugis introducere sategerunt, nec formatur
Christus

Christus in nobis, immediata quadam ratione, sed per ministerium verbi, ut sic evadat caput corporis mystici, non per identificationem quandam fanaticam, sed per fidem salvificam; Quod denique regeneratio cum unione mystica & renovatione aut restauratione Imaginis divinæ absone ac omnium absurdissime confundatur, illa siquidem, stricto suo valore in hoc solummodo radicatur, ut inferat collationem virium credendi, ac divina certitudine roboret, cor nostrum eique persvadeat de merito Christi & Ejus dilectione ac traditione, nostrum loco facta, quo quidem ipso unimur cum Christo, ceu propitiatorio nostro per fidem in ipsius sanguine ac Christum induimus, non imitatione, quam renovatio docet & persequitur, sed fideli receptione, qua conglutinamur cum eodem & spiritualiter immutamur, ut quemadmodum *amzja* virium intellectus illuminante gratia efficacissime frænata, ita nunc per regenerationem, voluntas etiam exuat malitiosam resistantiam & sortiatur speciatim ac appropriet sibi, vita gratiæ & spiritus, ea omnia, quæ Christus merito suo acquisivit, ut hac ratione fides per gratiam illuminantem intellectui donata, ad cognoscendum & dijudicandum spiritualia, & sic quidem vera, viva atque salutaris, per receptionem & appropriationem, adeoque in statu regenerationis sit non tantum salutifera, sed & actu ipso singulis, qui regenerantur, salvifica.

§. XI.

Eadem *Gratia inhabitans* perficit nostram JUSTIFICATIONEM, de qua perhibent sacræ Pandectæ, quod, quoad terminum ipsum atque nomen, forensi acceptione veniat, & actum judicalem designet, quo peccator a reatu culpæ simul ac pænæ certis de causis absolvitur, justus pronunciat, declaratur & æstimatur, in quo quidem singula Bibliorum dicta facile conspirant, quæ eadem in verbis & nominibus

C 3

minibus

minibus græcis, justificationem designantibus, consimili firmitate nobis demonstrata sunt; *Quod* illa justificatio in respectu ad peccatorem manifestet *judicium* ad sanctitatem, divinæ voluntatis rigidissime exactum, *Reum* ex omni capite & causa ἀναπολόγητον, *Accusatorem* & *Actorem* probatione, quæ major est omni exceptione & irrefragabili convictione superantem, ac resultantem, denique *sententiam condemnatoriam*, cui totius orbis & hominum ac Angelorum suppetiis remedium acquiri & acciri non potuit, donec per sapientiam DEI cognitus & constitutus fuerit *Mediator* & Θεάνθρωπος Christus JESUS, qui dedit seipsum ἀντίλυτρον redemptionis pro omnibus, ut per mortem ipsius reconciliarentur peccatores & per ejus obedientiam justii constituerentur; Qui & solus illas ipsas vires spirituales gratiose tribueret ac largiretur, quibusmet instructus peccator fiducialiter apprehenderet satisfactionem Redemptoris, cujus merito assertus & conciliatus; *Quod* ea quidem ratione peccator confidat, in DEO, qui erat in Christo, mundum reconcilians sibi met ipsi, dum non imputabat illis peccata illorum, & dum non operatur, credit vero, in eum, qui justificat impium, imputetur fides in justitiam, quo non judicetur, peccata remittantur & veniat sententia absolutoria, remissionem putat, peccatorum accipere per nomen JESU CHRISTI omnem, qui credit in ipsum, & abs omnibus, quibus non poterant in lege Mosis justificari; *Quod* actum hunc justificationis excerceat Trinus DEUS, DEUS Pater enim, qui proprio Filio non pepercit est pro nobis atque justificat, & justitia DEI venit per fidem JESU CHRISTI in omnes & super omnes qui crediderunt, dum justificantur gratis gratia ipsius, per Redemptionem, quæ est in Christo JESU: JESUS CHRISTUS autem, justus iste servus DEI, per scientiam sui justificavit multos, & Spiritus S. sua nos gratia non voluit orbos, justificati enim sumus in nomine Domini JESU & per Spiritum
DEI

DEI nostri; *Quod*, velut omnis gratia ita quoque justificans oriatur, formetur ac solida fiat ex merito Christi, Christus enim est finis legis in justitiam omni credenti, & justitia, quæ est ex fide, dicit ita: Non dixeris in corde tuo: quis ascendat in cælum? hoc est Christum detrahere, aut eundem ex cælorum naturalium expanso accipere: Aut quis descendet in abyssum? hoc est Christum ex mortuis retroducere, aut eundem ex transitu maris expectare: Sed quid dicit Scriptura? Prope tibi est verbum in ore tuo & in corde tuo, seu in verbo revelato, quod corde fidei credis & ore deserto profiteris: Ibi ergo Mediatorem nostrum invenimus, quem proposuit DEUS propitiatorum per fidem, in ipsius sanguine, in demonstrationem justitiæ suæ, propter transmissionem prius factorum peccatorum, adhuc siquidem peccatoribus nobis existentibus Christus pro nobis mortuus est, multo magis igitur nunc justificati in sanguine illius salvabimur per ipsum ab ira, si enim cum essemus hostes, reconciliati sumus DEO, per mortem filii ipsius, multo magis reconciliabimur in vita ejus.

§. XII.

Ut & liquidum foret, quid partium nostrarum interesset? hinc edocti sumus, *quod* Medium *ληθηκόν*, quo regenerati & fide instructi homines, meritum Christi in absolutionem sui recipiant sibi que illud salutariter applicent, sit illa ipsa fides cœlitus indulta, & fiducialiter meritum Christi apprehendens, illi enim, qui abundantiam gratiæ & doni justitiæ accipiunt, in vita regnabunt per unum JESUM, Christum & in gentes facta est benedictio in Christo JESU, ut promissionem accipiant per fidem, huic enim Christo omnes Prophetæ testimonium perhibent, quod remissionem peccatorum accipiat per nomen ejus omnis, qui credit in eum, & de hac salute inquisiverunt & scrutati sunt Prophetæ, qui de ea, quæ in nos venit gratia prophetarunt, scrutantes

tantes in quod aut quale tempus revelabat, qui in ipsis erat, Spiritus Christi, qui prius testatus est de iis, quæ post hæc, gloriis, quibus revelata sunt, quia non sibi ipsis, sed nobis ministrarunt, itaque hæc scripta sunt, ut credant omnes, quod Jesus sit Christus Filius DEI, & ut credentes vitam habeant in nomine ipsius: Ipse enim DEUS noster, ut solus justus est & justificans eum, qui ex fide JESU est, ita vult, ut accedamus cum confidentia throno gratiæ & accipiamus misericordiam, ac gratiam inveniamus in opportunum auxilium; *Quod* hæc fides in justificatione & salvificatione excludat simpliciter & absolutissime omnia hominum legalia opera, qualia qualia sint, & a quibus, imo in quo statu producantur aut peragantur, quemadmodum enim ipsa fides in casu recto, nusquam in sacris literis dicitur justificare, sed semper potius in casu obliquo, certum id est, quod homo justificetur fide, ita solus DEUS etiam justificat, & quidem exclusis in universum operibus nostris, concludimus namque, hominem justificari fide sine operibus legis & scimus, quod non justificetur homo ex operibus legis, sed per fidem Jesu Christi, ex operibus siquidem legis non justificatur ulla caro coram DEO, & non operibus, quæ facta sunt, sed in justitia salvavit nos & justificamur gratis, gratia ipsius, si vero per gratiam, jam non ex operibus, alias gratia non esset gratia: hinc dum omnes nostræ justitiæ sunt velus pannus menstruatae & sæpe labamur omnes, exemplum Abrahamæ in nobis retroducendum est, qui non justificatus est ex operibus, credidit vero & illi imputatum est in justitiam; *Quod*, proinde fides hæc complexe sumpta non sit actus, qualitas aut opus hominis, quo persona jam per imputationem meriti Christi placet, & hostiæ spirituales ejusdem acceptabiles dicuntur DEO per Christum, non enim operans, sed credens justificatur, nec quando relative, vel ratione objecti & justitiæ

Christ

Christi acceptatæ, iustificare dicitur, opinandum est, hanc relationem, ex dignitate operis, actionis vel apprehensionis ex intrinseco suo valore tanquam actum hominis credentis iustificare, omne siquidem, quicquid fides, mediis salutaribus excitata, alit, habet & acquirit, ex apprehenso solo Christi merito venit, & in se hæc eadem fides heic loci nudum est instrumentum passivum, nec unquam per modum causæ impulsivæ minus principalis, DEum movet, ut nos in gratiam propter meritum Christi recipiat, nuda siquidem est & omnis meriti expers gratiæ in Christo oblatae acceptatio, & solide in *consensu repetito ac vindicato* p. 285. post egregia alia, ex opere Julii his verbis absolvitur omnis de hac causa discussio: Es ist offenbahr / daß es mit dem bemeldeten Fürbilde der reinen Lehre und heilsahmen Worten streite/ da jemand lehret/ daß unsere guthen Wercke zur Seeligkeit nöthig seyn/ als daß es unmöglich sey / daß jemand ohne guthe Wercke könte selig werden. Dem Glauben/ so er rechtschaffen ist/ folgen wol gewiß die guthen Wercke/ aber in dem Artikel der Rechtfertigung oder der Seeligkeit und Erbschaft des ewigen Lebens sollen sie nicht eingeschoben werden.

§. XIII.

Manifestum proinde manet, quod Bona Opera, nec in justificatione, nec salvatione sint necessaria, tanquam causa, conditio & necessarium requisitum salutis solo Christi merito acquisitæ, collatæ ac æternum indulgentiæ, nec meritorii quid ex ullo unquam capite ac modo heic loci iisdem tribuendum est, siquidem nec ad conferendam nec conservandam eandem vel minimum conferunt aut maxime exilis momenti instar haberi possunt illaque omnis locutio, qua in operibus nostris conditio sine qua non, aut vel titivillitium meriti, medii at-
D
que

que modi collocatur, contumeliam infert merito Christi & extremo odio ac rigorosissime est repudianda; Neque ὑπομονή ista Ebr. X. 36. designata exhibet patientiam atque tolerantiam afflictionum, quæ tempore persecutionum exercuerunt confessores & martyres, passiones enim hujus temporis non sunt condignæ futuræ gloriæ, in nobis revelandæ, sed fidem potius perseverantem ac perdurantem nullisque malis & afflictionibus cedentem, ubi credentes tenuerunt, confessionem fidei non vacillantem & fiduciam salvificam non abjecerunt, hæc enim perseverantia confidentiæ erat necessaria eademque opus habent fideles, ut voluntatem DEI facientes reportent promissionem vitæ æternæ; Eadem firmitate porro decidimus, quod sanctificatio, sine qua nemo videbit Dominum, non sit spontanea quædam castitas, aut aliud quoddam hominum opus, sed solus ille ἀγιασμός τῆ πνεύματος, cujus ordine elegit nos DEUS & qui contigit in obœdientiam & asperionem sanguinis JESU CHRISTI, quo quidem ipso & unice solo applicatur nobis meritum Christi in verbo Evangelii & per media salutis; Quod item propterea operum nostrorum hic nulla sit conditio aut qualiscunque status & modus, sub quo salus spiritualis ac æterna aut detur aut dari possit, quicquid enim adversus desperationem ac damnationem consuluit cordibus nostris, id κάρισμα demum Dei est in Christo JESU Domino nostro, illo ipso siquidem solo, per virtutem Dei custodimur in salutem paratam; Quod & denique, dum justum est apud DEUM retribuere affligentibus afflictionem & afflictis recreationem, opera tamen bona non sint meritoria remissionis peccatorum, gratiæ aut justificationis (hæc enim tantum fide consequimur) sed aliorum præmiorum corporalium & spiritualium in hac vita & post hanc vitam, illa namque omnia atque singula non agunt de salutis & vitæ

vitæ æternæ meritoria acquisitione & collatione, quæ non nisi merito Christi fide apprehenso contingere potest, sed de consequentibus & statu vitæ aut damnationis ac gradibus gloriæ & pœnarum.

§. XIV.

Ut & omnia brevi complexu ac conspectu retroducantur id indubium & argumentis divinis evictum ac irrefragabile manet, *quod* formalis ratio justificationis & salutis nostræ consistat atque absolvatur in non imputatione & remissione peccatorum nostrorum, ac imputatione meriti Christi, is namq; peccator, qui, quoad nativam peccati originælis scditatem & quoad reliqua quæ inde ascendunt, miser & miserabilis & egenus & cæcus & nudus & laceratus & cadaverosus & mortuus est, excitatur e somno & suscitatur e morte peccati, viribus credendi gratiosissime donatur & instruitur, atque tunc propositum sibi Christum Jesum ceu propitiatorium per fidem in ipsius sanguine experitur, eundem sibi lucrifacit, & operum atq; meritorum propriorum omnimodo immemor & ex istis ne hilum adsciscens vel adferens, ubi Christi meritum fide apprehensum omnia atque singula consummat, lætus & gratus credit, satisfactionem, meritum & justitiam Christi transferri per imputationem ac iudicium Dei in se omnis meriti expertem, ut evadat iustitia in hoc suo unico Redemptore & in hoc solo justitiam suam habeat; Imo lætifera prorsus fiducia præsupponit, *quod* cum Zelotes Deus in Christum projecit iniquitates omnium nostrum, eundemque fecerit peccatum pro nobis, ut auferret peccata mundi, exsolveret, quod non rapuerat & exquisitissima satisfactione absolveret ac consumma-

summaret, quicquid per justitiam Numinis ^{Autem} citra
 dimitti non poterat, eo quidem ipso peccatorum etiam
 suorum non amplius coram judicio divino haberi possit
 ratio, quæ ceu deleta, emundata, abluta, suppressa, in
 profunditates maris & post tergum projecta ac memoria
 exterminata hoc magis sint habenda, quo evidentissime,
 clarum, benedictionem Messiaë ad se etiam redundare, se
 e morte in vitam translatum esse, nihilque condemnatio-
 nis superesse adversus semet, quatenus in Christo est &
 manet, propter quem imputatur illi justitia absque operi-
 bus ut sic inter palmites genuinæ vitis & frutices bonæ
 oleæ numeretur ac cum sponsa exultare possit: Ego A-
 mico meo & Amicus meus est mihi proprius. Si DEUS
 pro nobis, quis contra nos; Qui & proprio filio non pe-
 percit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo
 non etiam cum ipso omnia nobis gratificaretur; Quis
 accusabit electos DEI? DEUS est, qui justificat. Quis est,
 qui condemnat? Christus est, qui mortuus est; magis ve-
 ro etiam, qui resuscitatus est, qui etiam est in dextra Dei,
 qui & intercedit pro nobis. Quis ergo separabit a dile-
 ctione Christi? afflictione, an angustia? an persecutio? an
 fames? an nuditas? an periculum? an machæra? sed in
 his omnibus plus quam vincimus per eum, qui dilexit
 nos. Persuasus sum enim, quod neque mors, neque vita,
 neque Angeli, neque principatus, neque virtutes, neque
 instantia, neque futura, neque altitudo, neque profundi-
 tas, neque aliqua creatura alia, poterit nos separare
 a dilectione Dei, quæ in Christo Jesu Domi-
 no nostro est.



AD CLARISSIMUM atq; DOCTISSIMUM
DN. RESPONDENTEM.

Significasti mihi haud ita pridem, Te, antequam Almae huic valediceres, publicum meditari Disputationis actum, in quo exacti temporis rationem reddere. publicoque specimine Patronis Tua commendare possis studia. Hoc propositum tantum abest ut improbem, quin potius omnibus modis probem. Qui enim studiis suis recte consulere intendunt, non in privatis tantum Doctorum suorum Scholis toti in eo sunt, ut quarumcunque doctrinarum sedulo sibi conquirant thesauros, sed conquisitos in publica quoque luce palam exponunt, non vanæ ostentationis ergo, sed ut partim ipsi, partim alii intelligant, quid de ipsorum Studiis vel Ecclesia vel Respublica aliquando sibi promittere queat. Eo itaque cum sis animo, & de cetero nil quicquam agas, quod ingenuum Theologiae Cultorem dedecoret, potius ea secleris strenue, quæ Tibi laudi atque ornamento esse possunt, egregios hinc conatus ex sincero Tibi gratulor pectore, Deumque immortalem supplex veneror, ut hanc mentem in Te servare, studiis Tuis ulterius benedicere, suamque super Te providentiam quotidianis Gratiae atque Favoris documentis illustrem reddere clementissime dignetur. Dabam Rostochii d. 7. April. Anno MDCCXXI.

ALB. JOACH. DE KRAKEVITZ, D.

PRÆNOBILI, CLARE DOCTO & PEREXIMIO

DOMINO DRUDEN,


Amico & Auditori suo diligentissimo & dilectissimo:

prosperitatem omnigenam precatur

WEIDNERUS.

ERant DRUIDES olim Gallorum Doctores & Mystæ ex Brittonum Gente derivati, & Eubagum ac saronidum titulo Autoribus prisca not, qui ad vanitatem facile stupidum illius avi vulgus, in superstitionis

stitiois ritibus ac ceremoniis erudierunt, ad tantum honoris ac venerationis
 vastigium inde euecti, ut post DEos primi haberentur, & quicquid vellent, pro
 ratione status, astute persuaderent, studiis insimul solertem navantes operam :
 An nomen Tuum se referat *Eruditiſſime* DN. DRUDEN, ad vetustos istius-
 modi sapientiae ac status cultores, non disputavero, modo significaverim, quod
 pro ingenio tuo sobrio ac sat felici, nil eorum omiseris unquam, quae Philoso-
 phiae ac Theologiae studiosum ornare ac singulis commendare valent : Ita si-
 quidem adhaeres Doctoribus Tuis, ut nunquam sine fructu abeas, & sic inter com-
 militones conversaris, ut singuli ferme Tuam humanitatem amplectentur, imo
 morum tuorum pergrata & scita amoenitas non paucos hactenus jam concilia-
 vit Patronos & in posterum sub auspiciis divinis plures adhuc acquireret: Quis
 enim non faveret impense Viris multae spei, & ad quos Patria cum peregrini-
 nis allicitur. Sospitentur ergo, ut hactenus, sic & omnibi locorum ac tempo-
 rum æquanimita Tua fata ! Experire, quod privatim sapius jam in prolixas Tu-
 as laudes cessit, publicum nunc Disputandi officium, & exercitium in gloriam
 Tui ! Quin ubicunque degeris, res Tuas ex voto & prospere satagas. Scribebam
 festinanter, sed meritis Tuis ex animo applaudens, Rostoch., in Museo, Anno
 MDCCXXI. die XXIII. Aprilis.



PRÆCLARISS. atq; DOCTISSIMO

DN. RESPONDENTI,

χαριστὸν καὶ ὑπάκουον !

Duabus vicibus, Optime DN. DRUDENI, ad Aca-
 demiam nostram Varniacam tanquam ad bonarum
 artium emporium, accessisti, sed ita Te semper ges-
 sisti, ut omnium bonorum approbationem, amo-
 rem, favorem sustuleris, quandoquidem diligentiam in-
 studiis indefessam cum perenni veræ pietatis cultura con-
 jungere ac fororio quasi nexu combinare solitus es. Se-
 disti hinc ad pedes Gamalielum tuorum Auditor curios-
 sus & industrius, injurios in neminem fuisti, cum mutis
 Magistris in musæo summo cum animi prolubio conversa-
 tus es, consilia vivorum sapientum modeste expetere & in-
 rem tuam vertere novisti. Summa: exemplum te præbui-
 sti aliis imitatione dignum. Recte autem omnino & lau-
 dabiliter facis, quod secunda hâc vice almam nostram Uni-
 versita-

veritatem desistere prius nolis, quam publico quodam studiorum specimine ex Cathedra Theologica dederis demonstratum, Te hactenus non larvatum aut personatum, sed verum ac genuinum egisse Theologiæ Sacræ Cultorem. Precor itaque summum Numen ex intimis præcordiorum thalamis, velit non solum hisce tuis ausibus honestissimis ex alto clementissime benedicere, sed etiam prosperos nunquam non successus undiquaque indulgere, largiri, ut portum, quem respicis, exoptatum aliquando ex voto consequare. *Εὐχόμεο!* Dab. Rost. An. Salutis MDCCXI. d. 24. April.

HERM. CHRISTOPH. Engelsten/

S. S. Th. Doct. ejusq; Prof. Publ. Ord.



NOBILISSIMO CLAREq; DOCTO

DN. RESPONDENTI,

FAUTORI & AMICO SUO CHARISSIMO,

S. & O.

FRANC. ALB. ÆPINUS.

Literarum Sacrarum Studiis eum in finem operam navamus nostram, ut iisdem, quando Supremi rerum omnium Rectoris ac Directoris sapientiæ providentiæque visum, Ecclesiæ ædificationem quære ac alios ad salutem erudire queamus. Ideoque periclitandæ subinde sunt vires, ut, quid valeant, experiamur ipsi, alii autem agnoscant. Haud namque satis est, privatim Studiis invigilare, sed publicè quoque cum eruditione dona divinitus concessa explicanda sunt, quò cunctis innoscant & constet, in eo nos totos esse, ut olim, quantum vires concedunt, proximo publicoque bono usui simus atque emolumento. Tu quidem, OPTIME DRUDENI! hactenus per quadriennium apud nos Studiis Sacris eo ardore animique contentione vacasti, ut omnes intelligerent, Te tuosque conatus istum in finem ferri: quapropter & singuli benè Tibi, benè laboribus tuis comprecati fuere. Utque industriâ tuâ nunquam defessâ laudes; sic innocentiam vitæ morumque integritate benevolentiam atque favorem

gunt

gentiæ suæ fructum sat uberum; eruditionem in vivo non vulgarem, obtinuit, uberiores de die in diem, id quod scio, obtenturus. De hoc æque ac de animo, cum futuratum futuris, quod prudentis est, prospiciente, Clarissimo possidenti animitus gratulans, Ipsius affectum mihi deposito, Rostochii Octavo ante Kalendas Maji, MDCCXXI.

Rigidus sane esset ac ferreus, quem literarum decus non capiat, dici enim non potest, quanta igitur vis insit & facultas, nescio qua interna, animos movendi. Et quamquam omnis virtus nos allicit, facitque ut eos diligamus in quibus ipsa in esse videatur; eruditio tamen virtutis progenies id maxime efficit. Quocirca non possum non Amice æstimatissime, te summo prosequi amoris cultu, propter tuorum, qua me totum cepisti, elegantiam studiorum: Atque hoc intelligere ipse eo magis potui, quo laudabiliorum te mihi Duce[m] meis in literarum conatibus olim præbere solebas. Gratulor ex animo, quod occasionem arripueris, earum, in quibus desudasti diu multumque, literarum specimen edendi; hocce vero præsertim sub fulgidissimi Viri, quem & ego us summum meum Patronum humillime veneror, WEILENERI Doctoris amplissimi, auspicio. Faxit DEUS ut cæpta tua in optatum ferantur finem, quo ipse laboris fructum sentias commodumque, & ut Ecclesia tui causa aliquando sibi gratulari opus habeat. Scr. Rost. die 18. Aprilis Anni 1721,

Tui addictissimus

J. C. KEDING, Opponens,

Omnavit natura parens TE Dædala rerum
Jugentii variis Dotibus atque bonis,
His indefessi quentiam accessere labores,
Jugentii vis est vivida facta Tibi
Sed nunc majus opus divinos pandere libros
Incipis, atcanis quæque repleta sacris.
Majori hinc voto Tibi jam cœlestia grator
Præmia, quæ pietas, que dabit ipse Deus.

*Paucis hisce nobilissimum DN. RESPONDENTI
tulationis ergo compellare voluit*

CHR. ALB. IDELE

S. S. Th. Stud. Opponens.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

Main body of faint, illegible text, appearing as ghosting from the reverse side of the page.

Lower section of faint, illegible text, including a large dark stain in the bottom center.

gentia suæ fructum sat uberum; erudi-
vulgarem, obtinuit, uberiores de die in
obtenturus. De hoc æque ac de animo
futuris, quod prudentis est, prospiciente
denti animitus gratulans, Ipsius affectum
stochii Octavo ante Kalendas Maji, MD

Rigidus sane esset ac ferreus, quem literarum d-
non potest, quanta igitur vis insit & facultas
mos movendi. Et quamquam omnis virius
diligamus in quibus ipsa in esse videatur; eruditio t-
maxime efficit. Quocirca non possum non Amice a-
sequi amoris cultu, propter tuorum, qua me totum a-
rum: Atque hoc intelligere ipse eo magis potui, q-
Ducem meis in literarum conatibus olim prabere sole-
quod occasionem arripueris, earum, in quibus desuda-
rum specimen edendi; hocce vero praesertim sub fulgi-
sumum meum Patronum humillime veneror, WE-
plissimi, auspicio. Faxit DEUS ut cepta tua in opti-
ipse laboris fructum sentias commodumque, & ut Eo-
sibi gratulari opus habeat. Scr. Rost. die 18. Aprilis

Tui addidit

J. G. KEDIN

ORnavit natura parens TE Dædala rerum
Jugeni variis Dotibus atque bonis.
His indefessi quoniam accessere labores,
Jugeni vis est vivida facta Tibi
Sed nunc majus opus divinos pandere libros
Incipis, atcanis quæque repleta sacris.
Majori hinc voto Tibi jam caelestia grator
Præmia, quæ pietas, que dabit ipse D-

Paucis hisce nobilissimum D-

tulationis ergo compella

CHR
S.



no non
od scio,
uratum
o possi-
icoRo,

, dici enim
terna, ani-
tque ut eos
progenies id
sum pro-
lam studio-
um te mihi
ex animo,
que, litera-
m & ego ut
vetoris am-
finem, quo
aliquando

ens,
DELE
oncus.

